

*Hippocratea* adeoque a *Millero* sex staminibus male descriptus est in suo *Lexico*, quaeso dicas mihi num stylus sit unicus.

Genus *Jacquiniae* ejusque characterem edam intra 14 dies, et mittam impressum.

*Capparidis* florem vidi, sed glandulas non observavi. quidquid sit erit *Breynia* nimis affinis *Capparidi*, ut patet ex habitu, ex germine stipitato, nec fructus figura sufficit, cum in variis speciebus *Capparidis* fructus sit oblongus.

*Visci arborei* flos est absolute *Epidendrum*. Forte omnia *Epidendra* ejusmodi stamina gerant, nec flores facile examinantur sicci ob gluten, nescio quod, eos conglutinans.

*Anguria* Tua est profecto singularis staminibus duobus.

*Elaterium* monandrum, an et hic monadelphum v. potius syngenesistum, ut in *Cucumeraceis*.

*Schistomelum* est durius enuntiato vocabulum; an reperias facilius quoddam.

*Chondrilla* Plum. statura valde accedit ad *Pectin*; an vere a *Pecti* distinctum.

*Petiveria* etiamnum mihi floret, semina ex *Jamaica* sunt, et eadem cum sicca *Brownii*.

*Pavetta* *Brown.* puto esse *Ixorae* speciem.

*Callicarpa* fol. alternis. an possibile?

*Scoparia* fol. sessilibus. an hinc floris corolla intus pilis barbata?

*Ammannia Brownii* mihi non visa, at *Isnarda 1. Brown.* est *Ammannia latifolia*, et *Oldenlandia 2. Brown.* est *Isnarda palustris*.

*Arquatia* singularis est.

*Oenothera* inter et *Epilobium* media an *Gaura*?

*Sloane t. 198. f. 1.* Statura est *Melastomatis*, nec ob solum numerum novum genus statuendum.

*Melicoccus Brown.* ane *Schini* species?

Statuis *Gristeam* et *Combretum* esse ejusdem generis, at in *Combreto* flos superus; in *Gristlea* inferus, illud mono-